Paulus episcopus servus servorum dei Venerabili fratri Bernhardo archiepiscopo Saltzburgensi Salutem et
apostolicam benedictionem. Credimus non latere fraternitatem tuam quemadmodum draco ille poten-
tissimus princeps immanissimus Turcorum tum in fauces debacchatur et animosius
animosius crudeliusque in dies christianis stragem agitat/ propter quod nos qui cuncta
in rebus ad divinam pietatem recurrendum esse censemus, in lateranensi basilica unacum
venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus Archiepiscopis episcopis Abbatibus et
aliorum prelatorum Curialiumque ordinibus et magna populorum multitudine solemnem
processionem ante latis multorum sanctorum reliquiis summa cum reverentia/ ac indictis pro
ieiuniis et elemosinis celebrandis/ supplices orationes instituimus pro victoria christianorum
adversus impiissimos Turchos/ nec cessamus processiones et preces ad ipsum et
omnipotentem deum continue celebrari facere/ ac fundere/ Et profecto Venerabilis frater crede
nobis/ res christiana in maximo periculo est nisi occurratur repente/ hostis enim
validissimum habet exercitum tum mari tum terra/ sititque et appetit immaniter
christianum sanguinem/ unde cum ferocius continue increscat et malignetur/ opus est
ut et Italia et alie fidelium nationes presto auxilio sint ad hoc incendium extinguendum
tu autem qui presul et in ecclesia dei dignus prelatus potensque es non debes rem
hanc pretermittere sed eam amplecti et adiuvare pro viribus atque adesse omni
studio et potentia tua. Velis igitur non cunctari sed iam tandem assurgere/
ita enim expedit/ pro liberanda re publica christiana/ pro victoria fidelium consequenda
pro gloria salvatoris nostri amplianda/ proque insania draconis comprimenda//
Cum hec ut te decet et nos speramus feceris/ celebrabunt et eo magis tu ceteros
principes et potentatus/ reliqua christianorum successus habebit felicissimos
magnamque fraternitas ex hoc laudem apud mortales/ apud deum premium eterne glorie
consequetur/ Ceterum desideramus responsum iuxta rei magnitudinem et necessitatem hanc maximam
quod ut facias oramus/ quoniam quanto citius feceris eo maiorem nos consolationem afferes/
in tanta christianorum periculo tenet nos continua et incredibilis sollicitudo/ Postremo delatum
est nobis Nigropontum urbem claram fidelium ipsum rebellissimum pestilentissimumque
canem inaudita crudelitate expugnasse/ ac pro natura sua crudelissima et innata
feritate solo prorsus equasse/ trucidasseque utriusque sexus homines a decennio
supra quoscumque ibi repperit/ rem a seculo inauditam et semper deplorandam/ quam
non sine dolore cordis rememoramur/ ex quo fit ut ipse cottidie multo propinquior
et expeditior ad christianorum exitium factus sit. Ac propterea christiani principes unitis
viribus advolare debeant ad resistendum communi nostro obprobrio/ Datum Rome apud
Sanctumpetrum/ Anno incarnationis dominice Millesimoquadringentesimoseptuagesimo
octavo Kl. Septembris Pontificatus nostri Anno Septimo

A. de Valterris